

quando correctæ sunt, auctoritate caruerunt. Et tamen huic posse subiacere periculo etiam Scripturas ipsas Apostolus Petrus nos admonet in sua canonica, capite ultimo dum dicit: *Quædam esse in epistolis Pauli, quæ instabiles et indocti depravant ad suam ipsorum perditionem sicut et cæteras Scripturas.* Nec tamen ex istis depravationibus perit, aut diminuitur Scripturæ auctoritas, quia ubi errata, vel mendosæ depravationes subrepunt, diligentia humana supplet per collationem exemplarium correctorum, quæ semper in Ecclesia manent. Et idem est de libris patrum, et sacrorum doctorum, nam licet diversis erratis aut mendis depraventur, semper manet unde a doctoribus id corrigi possit per collationem exemplarium probatorum, aut ex discursu, et sic nihil restat periculi. Hoc idem in summa D. Thomæ contigit, quæ vel incuria amanuensium, aut negligentia, vel malitia typographorum, aut hæreticorum non paucis mendis respersa est, sed a piis, et doctis viris semper procuratum est, ut suæ fidei redderetur. Qua de re Hieronymus Uvielmus, lib. II, de doctrina D. Thomæ testatur se auctore, generalem ordinis Prædicatorum Stephanum Ususmaris convenisse Venetiis typographum coram nuntio apostolico super impressione D. Thomæ quæ pluribus mendis depravata ab ipso erat. Nec tamen adhuc affirmare possumus omnibus numeris absolutam emendationem D. Thomæ factam esse. Tanta est humanæ providentiæ infirmitas, et incertitudo. Nam et ipsam vulgatam Scripturæ editionem, quæ a Romanæ Sedis Pontificibus summa diligentia procurata est, nec omnibus numeris absolutam prodiisse, ipsa ejus præfatio in initio affixa declarat. Hoc tamen nihil de auctoritate

diminuit, cum ea quæ oculos emendantium effugiunt, ab aliorum discursu, et collatione adverti, et corrigi possint.

DISPUTATIO.

DE PROPOSITIONIBUS ERRONEIS,
QUÆ IN D. THOMÆ OBJICIUNTUR.

Sine ullo prorsus errore scripsisse Div. Thomam Apostolica Sedes per os Clementis Papæ VIII, nos securos, ac certos reddit, ideoque in ejus defensionem acrius excitat, et inflammat, cum pro veritate nos pugnare, et justam causam tueri supplicante discamus. Accedit enim D. Thomæ doctrinæ, quod et doctrinæ S. Augustini, cujus ille fidelissimus sectator fuit, et discipulus, de qua S. Prosper in præfatione ad capitula Gallorum sic inquit: « Doctrinam quam sanctæ memoriæ Augustinus episcopus contra Pelagianos inimicos gratiæ Christi, et liberi arbitrii decomptores per multos annos apostolice asseruit, litterisque mandavit, quibusdam visum est, aut non intelligendo aut intelligi eam nolendo, reprehendere. Et hoc quasi compendium cognitionis, his qui iudicio eorum ducebantur afferre, ut quæ in libris prædicti viri damnabilia reperisse jactabant, brevium capitulorum indiculis prædicarent, talique commento, et detestationem ejus quem impeterent, obtinerent et ab his quæ infamassent, curam exterriti lectoris averterent. Ne ergo hanc persuasionem temere quis recipiat, et talem putet sensum scriptis catholici inesse doctoris, qualem eum qui frustra calumniantur, ostentant, singulis capitulis, quæ rationis titulo prænotantur, brevi et absoluta professione respondeo in

nullo recedens a tramite earum definitionum quæ in sancti viri disputationibus continentur, ut facile vel tenuis diligentia advertat inspector, quam injustis opprobriis catholici prædicatoris memoria carpatur, et in quod peccatum cadant, qui aliena instigatione commoti scriptorem celeberrimi nominis promptius habeant culpæ quam nosse. » Ita Prosper. Hæc ergo tota nostra causa est; pulsatus enim ab his quæ in D. Thomæ catholici doctoris, ac scriptoris doctrinam, et jactari audimus, et ab aliquibus jactari legimus, ne hanc persuasionem temere quis recipiat, et talem putet sensum scriptis ejus inesse, qualem istæ ostentant calumniæ, illis hac disputatione respondere conabor, et in quo auctore ea legerim insinuabo.

ARTICULUS PRIMUS.

Proponuntur, quæ in Div. Thomæ objiciuntur.

Duplex propositionum genus in Div. Thomæ jactatur. Quædam ut erroneæ, aut indefensabiles, aliæ ut dignæ quæ deserantur, ut minus commodiores explicandæ fidei, et theologiæ, aut in scholis minus bene visæ.

CIRCA PRIMUM GENUS.

Primo, objicitur quia in materia de conceptione Beatissimæ Virginis duo protulit D. Thomas quæ hodie sustineri non possunt. Alterum, quia affirmat esse erroneum dicere, quod aliquis præter Christum sit sine originali peccato conceptus. Quæ censura est expresse contra determinationem Sixti IV, Pii V, Concilii Tridentini et aliorum summorum Pontificum, qui declarant non esse e

erroreum dicere B. Virginem esse præservatam ab originali, et prohibent quæcumque censuram in oppositum. Quod autem id dixerit D. Thomas, constat ex 1-2, quæst. LXXXI, art. III. « Dicendum quod secundum fidem catholicam firmiter est tenendum, quod omnes homines (præter Christum solum) ex Adam derivati peccatum originale contrahunt, alioquin non indigerent redemptione per Christum, quod est erroneum. » Alterum quod protulit D. Thomas. est: « Quod quia ignoratur quo tempore B. V. fuerit sanctificata, celebratur festum sanctificationis ejus potius quam conceptionis. » Ita III p. quæst. XXVII, art. II. Hoc autem reprobatur est a Greg. XV, in peculiari decreto, quo prohibet nullo modo in officio divino utendum esse nomine sanctificationis, sed conceptionis.

Has duas propositiones ex D. Thomæ affert auctor elucidarii Deiparæ, lib. IV, tract. V, pag. 969, quasi ab aliis objectas. Et proferens iudicium de his pag. 973, dicit quod si doctor sanctus has propositiones docuisset, ejus auctoritas in hac parte esset debilitata per Sedem Apostolicam; sed auctoritatem relatam ex III p. dicit ex fraude, et corruptela irrepisse in textum D. Thomæ. In 1-2 vero illam censuram non esse D. Thomæ sed a nonnullis inique declaratam. Et D. Thomam solum damnare, id quod infert tamquam inconveniens scilicet aliquem non indigere redemptione per Christum, non vero errore notare quod aliquis sine peccato sit conceptus.

Secundo, objiciunt s. doctorem dixisse: « Quod vota simplicia non faciunt religiosum: » 2-2, qu. CLXXXIX, art. II, ad I. Nec censeri potest aliquis religiosus per vota simplicia, absque professione solemnium, nec censendus apostata, qui recidit, quod tamquam mentem D. Thomæ

nonnulli crediderunt. Rejicitur autem, et damnatur a Greg. XIII, in bulla Ascendente Domino. Item quod votum simplex castitatis in religione irritum non reddat matrimonium contrahendum, nec irritari possit, nisi per solemnem professionem. Refert has propositiones idem auctor elucidarii, pag. 77, col. 1. Eam autem propositionem docet S. Thomas in additionibus, q. LIII, art. 1 et 2.

Tertio, opponitur quod dixit in primum dist. XI, quæst. 1, art. IV: « Quod Pater et Filius possunt dici duo spiratores, sicut et duo spirantes, cujus oppositum docet 1 par. quæstione XXXVI, articulo ultimo, ad VII, quod etiam in Concilio Lugdunensi sub Greg. X definitum est dicendo quod unica spiratione procedit a Patre et Filio Spiritus Sanctus. Refertur hæc propositio ab eodem auctore ibidem.

Quarto, D. Thomas in tertio dist. VI, quæst. II, dicit quod illa propositio Magistri sententiarum: Filius Dei assumpsit hominem, et illa propositio: Ille homo cœpit esse Deus, et Deus cœpit esse homo, licet sit falsa non tamen hæretica. Et tamen ipse D. Thomas III p. quæst. II, art. IV, in fine, dicit esse propositionem hæreticam, et damnatam in Concilio; latuerat enim, inquit, D. Thomam determinatio illa Concilii. Refertur ibidem ab eodem auctore.

Quinto, Deus de potentia absoluta non potest creare aliam terram præter istam quam inhabitamus. Ita habet I p. q. XLVII, articulo ultimo, ad ultimum. Refertur ibidem ab eodem auctore.

Sexto, quod sit possibilis creatura absoluta necessitate existens; quæ proinde non possit non esse, essetque Deus cujus solius esse est necessarium. Ex D. Thoma II contra gentiles, capite XXX. Refertur ab illo auctore ibidem.

Septimo, quod cum voto simplici paupertatis in religione non potest coherere dominium honorum. Non designatur locus ubi id dicat D. Thomas sed videtur esse 2-2, quæst. CLXXXVI, artic. III, ubi tamen solum agit de solemnibus voto. Illa autem propositio damnata est a Greg. XIII, in bulla: Ascendente Domino. Refertur ab eodem auctore ibidem.

Octavo, Christum Dominum benedixisse panem, et vinum non aliis verbis, aut alio modo quam consecratione, et ita benedictio non est distinguenda a consecratione. Ita Div. Thomas III p. quæst. LXXVIII, art. 1, ad primum. Cujus oppositum significatur in Tridentino, sessione XIII, capite 1, et sic explosa est hæc sententia a scholis. Refertur ibidem.

Nono, episcopatum non esse ordinem, neque Sacramentum. Ita D. Thomas in quarto dist. XXIV, quæst. III, artic. II, quæst. II. Et licet plures eandem sententiam sequantur, quos refert Vazquez III, tomo, III p. disp. CCXL, c. II, tamen aliicensus hoc tempore esse sententiam periculosam, ob locum Concilii Tridentini session. cap. Refertur ibidem.

Has propositiones refert ex aliis auctor elucidarii, et subjiciens iudicium suum, statuit, nullam propositionem damnatam, a calamo et et mente Div. Thomæ profectam: si qua est, a tempore, ab amanuensis, a typographis irrepsit. Nolle se iudicium ferre, an omnes istæ propositiones mereantur censuram, et quam: se tamen nihil sinistrum in operibus D. Thomæ nisi ex depravatione codicum admittere. Qua tam bella urbanitate, et modesto iudicio, hoc agitur, ut qui tot propositiones (ut putantur) censurabiles in illo libro, aut viderunt, aut exceperunt, et ex alia parte, ridicula evasio est dicere quod in omnibus illis accidit mendosus error

in codicibus D. Thomæ, cum hodie præ manibus omnium, sine alia emendatione versentur, quid tandem judicare possunt, nisi actum esse auctoritate D. Thomæ in libris, quos ut legitimos habemus, neque enim alii emendatiores extant; sicque iudicium Sedis Apostolicæ: Quod sine ullo prorsus errore conscripsit, tot evulgatis erroribus, hæreticis exsibilandum, excreandumque relinquitur.

Addamus alias propositiones, quæ a pluribus auctoribus circumferuntur extractæ ex quodam libello supplici anonymo ad iudices veritatis. Plures quæ ibi continentur, sunt ex jam relatis, sed supersunt aliæ.

Decimo, opponitur Div. Thomas quod dixerit III p. quæst. XXV, art. III, ad III. imaginem Christi non adorandam adoratione latriæ. Quod videtur oppositum determinationi VII Synodi. In alia impressione ejusdem libelli habetur, humanitatem Christi non esse adorandam adoratione latriæ, quod constat esse contra eandem Synodum, sed hoc non habet D. Thomas.

Undecimo, affirmat clericum, et si defendendo se interficiat alium, manere irregularem, 2-2, quæst. LXIII, art. VII, ad III, quamvis non intendat interficere alium, sed se defendere. Oppositum definitum est in Clementina unica de homicidio.

Decimo secundo, dicit 1-2, q. CII, art. IV, ad VI, propitiatorium fuisse tabulam lapideam. Constat fuisse ex auro mundissimo, Exodi LVII et XXXVII.

Decimo tertio, voti solemnitatem consistere in quadam consecratione, seu formula spirituali ad Deum pertinente quæ ex apostolica institutione, et jure divino vim habeat obligandi, 2-2, quæstione LXXXVIII, artic. VII. Oppositum determinant Bonifacius VIII, in capite unico de voto et voti redemptione, et Gregorius

XIII, in bulla: Ascendente Domino, quod sit ex institutione sola Ecclesiæ.

Decimo quarto, quod ex sponsalibus irritis non oritur impedimentum publicæ honestatis, in quarto dist. XLI, quæstione unica, artic. I, quæstione IV, ad III. Oppositum determinat Alexander III, in cap. Ad audientiam, de sponsalibus, et idem habetur in capite unico, eodem titulo in VI.

SECUNDUM GENUS PROPOSITIONUM.

Multæ in hoc genere numerantur, quæ ad philosophiam spectant, et tamen dicuntur esse indefensabiles, aut a scholis exulare. Referemus quas refert auctor elucidarii libro IV tractat V, pagina 975. Primo, Divus Thomas in secundo dist. II, quæst. II, art. II, ad V ait: Esse corpus divisibile, et spatium inter cælos, neque alios aliis esse continuos. Secundo: Decem dumtaxat cælos agnoscit in secundo dist. XIV, art. IV, quibus undecimum addendum astrologicis rationibus convincitur, et Thomistæ fatentur. Tertio: Quod unum corpus non possit esse localiter in duobus locis dicit in primo dist. XXXVII, quæst. III, art. II et in IV dist. X, art. I, ad I. Opposita sententia est commodior pro explicando mysterio eucharistiæ, et sic a multis Thomistis deseritur. Quarto, ait probabiliter esse: Zonam æquinoctialem esse inhabitabilem, I p., q. CII, artic. II, ad IV. Cui hodie refragatur manifesta experientia. Quinto, ait: Duo accidentia ejusdem speciei non esse in eodem subjecto, I p., qu. XCIV, art. III, et 1-2, qu. XCIII, art. IV. Quod plures ex Thomistis non admittunt. Sexto: Quod intensio qualitatis fit per majorem radicationem in subjecto nullo gradu addito, ut dicit in secundo dist. XXXIV,

art. v, dist. XLII, quæst. 1, art. 1, quod a pluribus Thomistis deseritur. Septimo: Non posse dari instrumentum creationis, affirmat ip. q. XLV, art. v et II, contra gentiles, cap. XXI, contra id quod dixerat in secundo dist. I, qu. 1, art. III, ubi tamen non loquitur de instrumento expresse, nec ex propria sententia, sed Magistri. Hoc tamen a pluribus Thomistis non probatur, qui ponunt instrumentum iteratæ creationis in transubstantiatione. Octavo, negat sæpe: Materiam primam habere propriam existentiam, quod plerique Thomistæ non admittunt. Nono, cum ex speciebus sacramentalibus aliquid generatur, docet: Ibi manere quantitatem loco materiæ cum forma substantiali, et consequenter vermes sic generatos distingui specie ab aliis, qui veram materiam habent, III p. quæst. LXXVII, art. v et in quarto dist. XII, q. 1, art. II et IV, contra gentiles, c. LXVI, a qua sententia discedunt illustres Thomistæ. Denique, insarcinantur aliæ opinioniones, ut quod individuatio sumatur a materia, quod essentia, et existentia realiter distinguantur; quod quatuor interni sensus realiter distinguantur, quod cessante motu cælorum omnia sublunaria cessabunt; quod habitus scientiæ sit simplex qualitas, et tamen extendatur. Quas tamen propositiones libenter fatemur.

Ex theologia plures alias subinfert quibus plures Thomistæ censent non esse standum. Primo, Angelum non esse, in loco, ut in loco, sed ut in operato. Secundo, non esse possibile produci duos Angelos ejusdem speciei. Non posse Angelum peccare in primo instanti, Angelos solum conjecturaliter cognoscere futura contingentia non libera. Quod semel Angelus apprehendit, non potest unquam omittere. Quod Deus

prædeterminat physice actus nostros liberos. Quod Deus futura libera solum conjecturaliter cognoscit. Quod Deus non cognoscat futura conditionata, nisi per conjecturam. Quod merita non reviviscunt. Quod ad meritum debet actus fieri ex motivo charitatis. Quod primum peccatum rationalis creaturæ necessario debet esse mortale. Quod perveniens ad usum rationis, tenetur sub mortali actum facere quo se convertat ad Deum. Quod habitus supernaturales non augentur, nisi per actus intensiores. Quod unus character extenditur in diversis ordinibus. Quod in Christo non fuerunt habitus per accidens infusi. Quod ultima dispositio in justificatione elicitur ab habitu charitatis. Quod non pertinet ad articulos fidei Deum esse. Quod virtutes morales solum sunt in appetitu sensitivo excepta justitia et prudentia. Quod Christus non existat nisi per existentiam increatam. Quod formale unionis hypostaticæ sit quædam fictio. Quod in consecratione calicis illa verba sint essentialia novæ, et æterni Testamenti, etc. non minus quam prima: Hic est calix sanguinis mei.

De his propositionibus subdit auctor elucidarii, plures in iis contineri, aut extra, aut contra mentem doctoris Angelici: nullam esse propositionem sancti doctoris, quæ non optime explicari, ac defendi possit.

Aliæ opinioniones enumerantur in defensione Cantabrica a fol. 167, in quibus dissident Thomistæ, et quænam sit eligenda docet etiam si plures Thomistæ stent pro alia. De quibus in præsentem non est tractandum, sed suis locis in theologia de illis agemus, in præsentem enim solum vindicamus D. Thomam, non omnes Thomistas.

Plures ex præfatis opinionibus,

seu propositionibus translatae sunt ex his, quæ affert Dermicius Thadæus, in sua Nitela, pagina 46. Præter illas autem solum restant apud ipsum istæ paucae. Prima, quod existens in peccato mortali etiam occulto, peccat si ex officio fraternaliter corrigat. Secunda, quod in homine sit unica forma substantialis, inde enim sequitur corpus Christi vivum et mortuum non fuisse idem, nec reliquias sanctorum fuisse aliquid in ipsis cum vivebant. Tertia, quod in canonizatione sanctorum non errare Ecclesiam, solum pie creditur. Quarta, quod non possit commisceri aliquid calici consecrato, contra praxim Græcorum.

ARTICULUS II.

Quis sensus D. Thomæ circa ea quæ Ecclesia docet de immaculata Virginis conceptione?

Hæc est apud oppositos auctores fortior machina, quæ in solidissimum doctrinæ D. Thomæ murum arietat, et plures ad classicum excitavit, nec modicam utriusque partis bilem accendit in afferenda, vel profliganda alterutra sententia. Unde coacti sunt Romani Pontifices iteratis edictis publicas disputationes in hac re inhibere, et tandem indictum est silentium parti affirmativæ, et cautum ne qui piam opinionem sequuntur, aliam impugnent, aut de ea quomodolibet agant, aut tractent. Ita Paulus v et Gregorius xv, in suis constitutionibus pro immaculata conceptione. Excipit tamen ab hoc silentio ipse Gregorius xv, fratres ordinis Prædicatorum, ut licite possint inter se, et non cum aliis de ipsa tractare, ut constat ex bulla, quæ incipit: Eximii et singulares fructus, 28 Julii, anno 1622.

Quare nobis non licet quidquam tractare, vel agere de opinione affirmante contractionem peccati; licet tamen Ecclesiæ sensum, quem omnibus Apostolica Sedes proponit, hic etiam exhibere, et quid senserit D. Thomas explicare, et sicut ab aliis auctoribus in suum sensum adducitur, ita nobis licebit verum illius sensum indagare, nihil de ipsa opinione tangentes.

QUAM SOBRIE ECCLESIA IN HOC MYSTERIO LOQUATUR.

Arcanum hoc mysterium Ecclesia a Spiritu Sancto gubernata, et instructa, sic summa pietate veneratur ut tamen magna cum moderatione in re tanti momenti procedat, et loquatur, et a suis fidelibus sic sentiri velit.

Primo igitur docent, et testantur Pontifices articulum hunc nondum esse ab Apostolicas Sede definitum, seu declaratum. Ita Sixtus III, in extravaganti: Grave mentis, Pius v, in constitutione, quæ incipit: Super speculum, Gregorius xv, infra citandus. Unde quod aliqui afferunt ex decreto quodam Concilii Basiliensis, sessione xxxvi, in quo definitur probabilior esse sententiam piam de immaculato conceptu Virginis, constat omni auctoritate carere, tum quia Concilium illud jam in ea sessione erat acephalum, et a vero et legitimo Pontifice Eugenio iv, segregatum, tum quia Sixtus iv, qui fuit post illud Concilium, alique ejus successores expresse docent articulum hunc nondum esse a Sede Apostolica declaratum. Ergo quantum ad hoc nunquam illud decretum Basiliense admissum est neque confirmatum.

Secundo, quanta sollicitudine, attentione, et cautela in hac parte Apostolica Sedes processerit, et pro-